Nos Dominicus Antonius Dei Gratia Episcopus, et S. R. I. Princeps Tridenti, Marchio Castel=
larij, Comes à Thunn etc. etc.

Perillustri et multum Rdo Devoto Nobis in Christo Dilecto Domino Petro Vigilio Michaeli Comiti de Thunn,
Cathedralis Ecclesiæ nostræ Tridentinæ, et metropolitanæ Salisburgensis Canonico salutem in Domino.

Cum ad præsens vacare contingat officium seu dignitas Archidiaconatûs in Ecclesia nostra Cathedrali Tridenti,
ad nostram collationem et provisionem ab antiquo et de jure spectans et pertinens per obitum quondam
Excell.mi et R.mi D. Joannis Michaelis Wenceslai Comitis à Spaur Consiliarij actualis intimi S. R. C. M. Reginæ
Hungariæ et Bohemiæ, Episcopi [illegible], suffraganei Nostri, ac dictæ nostræ Ecclesiæ Canonici et ultimi
Archidiaconi, et ejusdem officij ac dignitatis immediati Possessoris. Nos proinde perpenden=
tes maturitatem et præstantiam ingenij, et præcipuè vitæ innocentiam, quæ Perillustrem et multum
Rdam Dominationem tuam exornant, tum litterarum, quas ardenter colis, amorem, quem comitatur
severioris disciplinæ ardor. Quæ cum ætatem tuam antevertant, Ecclesia nostra ex tam præclaris coeptis
initijs, provectiori ætate majora auspicatur incrementa virtutum, et exinde uberem sibi fructum ad
Dei Gloriam in dies pollicetur. Hæc igitur præ oculis habentes, non verò carnem aut sanguinem, quibus
nos tibi jungimur, motu nostro proprio et ex certa animi nostri scientia officium, sicut præmittitur,
vel alio quovis modo vacans, cum omnibus juribus, fructibus, emolumentis, et pertinentiis suis authoritate
nostra ordinaria Dominationi tuæ Perillustri et multum Rdæ conferendum esse duximus, prout conferimus
per præsentes, te de eodem investientes; volentes autem, ut ad effectum præmissum intra tempus legitimum
ordinem de jure vel consuetudine adnexum, quatenus opus, suscipias, aut apostolica, quatenus de jure
et non aliter, quoad præmissum tempus [illegible] in reliquis, dispensatio intercedat. Quocirca Perillustribus
et multum Rdis devotis Nobis dilectis Decano, Seniori, Ceterisque ejusdem Ecclesiæ nostræ Cathedralis Canonicis, et
eorum cuilibet in solidum tenore præsentium committimus et mandamus, quatenus ipsi vel unus ipsorum per se vel per alios vel
alium Dominationem tuam Perillustrem et multum Rdam, vel legitimum hac in parte Procuratorem tuum in corporalem
possessionem dicti officij seu dignitatis [illegible] jurium pertinentiarumque ejusdem ponant, et inducant inductumque defendant
amoto ab eo quolibet illegitimo detentore, [illegible] debitum ac solitum stallum in Choro assignent, faciendo tibi vel Procura=
tori tuo de ipsius officij dignitatis fructibus, redditibus, Proventibus, Juribus, et obventionibus universis ab omnibus, quorum
interest integrè responderi, contradictores vero quoslibet, et rebelles per censuram Ecclesiasticam authoritate nostra ordi=
narii firmiter compescendo. Datum [illegible] die 30ma Martij 1743. Tridenti.

[illegible] [illegible]

© Provincia Autonoma di Trento